



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Stephanus Mart. 28. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

746 VITÆ SANCTORUM. 28. Nov.
alia velle docere aggressus est; cum ita
Numine volente palam pro Christolo-
qui lingua subdola cogereetur. Frustra
& Theodas magus ab orco auxilia evo-
cavit, & regia puella blanditias admo-
vit, cum IOSAPHATUS, ostensis ab
Angelo calitum & inferorum sedibus,
pluris orci pœnas, quàm minas, pluri-
s cœli gaudia, quàm carnis fallacias face-
ret: tandem in meliorem sententiam
cum patrem etiam abduxisset, hoc mor-
tuo, regnum alteri cessit, & quam inter
homines minùs poterat, inter feras an-
gelicam vitam, annos v. supra xxx. vixit.
Accepit tamen tumultum cum magistro
suo in regiâ urbe, cui tunc primum mor-
tuus videbatur, cum ille jam olim fuif-
set. Ex Ioan. Damasceno.

*Salutem tuam medicus querit, qui erra-
tem ovem convertit, qui ad malos & bonos
vocandos ad bivia misit. Ecce & nunc tibi
vendit regnum cœlorum: si non habes obu-
lum unde emas, eme gemitu: fragmento pa-
nis cœlorum regnum tibi retribuitur. S.
Chryf. hom. 22. ad pop. Antioch.*

S. STEPHANUS MART.
28. Novembris.

STEPHANO huic tempora cognomen
Iunioris fecerunt. Natus est post vo-
tum Virginis imagini, quæ Blachernis
colebatur, à matre factum. Monachus
non

28. Nov. VITÆ SANCTORUM. 747
non tamen Reipublicæ non profuit.
Pugnavit è latebris suis fortissimè in
communem Divorum hostem Coprony-
mum; tum præcipuè cum in templum
Blachernense (cunas S T E P H A N I) de-
bacchatus barbarus furor est. Tunc, in-
quam S T E P H A N U S pro Matre & D E I
& suâ pugnaturus prodiit, & producto
in conspectu tyranni nummo, qui ima-
ginem ejus præ se ferebat, ostendit facile
augustissimas etiam D E I Divorumque
imagines honore debito colendas esse.
Igitur insidiis appetitus, & impuritatis
à mulierculâ mendaci accusatus, è spe-
luncâ suâ ad tribunal, inde in exilium ab-
ducitur. Ibi quoque cum imaginum cul-
tum multis miraculis tueretur, vinctis
à tergo manibus in publicos carceres re-
ducitur, sex panis uncias & tres scyphos
in hebdomades singulas matronâ Chri-
stianâ subministrante. Quòd tamen
cæli Saturnalia instare sibi certus esset,
hæc etiam vitæ fomenta xl. ante mor-
tem diebus respuit, & cum icones Divo-
rum (tota illi hereditas erant) matronæ
illi, de quâ diximus, donasset, obvius
hostibus ivit, & post multa ludibria
raptatus per urbem, calcibusque passim
insultantium pulsatus, tigno denique
cæsus oppetiit. Parricidæ carnifex
dæmon fuit. Mulierculam lactentes
gemini infantes in lecto lacerarunt, ip-
si etiam sceleri immortui. Nec verò
aliter

748 VITÆ SANCTORUM. 29. Nov.
aliter decebat aut parere aut mori vipe-
ram. *Ex Sur. tom. 7.*

*Immensus est Deus & infinitus in iusti-
tiâ, sicut & in misericordiâ; multus ad
ignoscendum, multus ad ulciscendum. Sed
misericordia sibi priora vendicat, ut, si
soluerimus, districtio non inveniatur in quem
serviat. S. Bern. ferm. 1. de Epiph.*

S. RADBODUS EP. 29. Novemb.

Vitas Divorum RADBODUS specu-
lum suum dicere est solitus. In hoc
speculum vitam ecce suam dedit. Pieta-
tem in Caroli & Ludovici Imperato-
rum aulâ edoctus est, ipsissimâ virtutis
tunc scholâ. Hæc clienti suo infulam
Trajectensem peperit, dignissimo om-
nium calculis, præterquam suo. Submit-
tere tamen eandem ad pauperum pedes,
quos quotidie abluebat, non dubitavit,
utque oculos & suos & aliorum falle-
ret, ex auro quidem bibit, sed aquam;
quam cum libare vellet non nemo, in-
merum vertit RADBODUS: itaque ca-
vit ne pessimus pocillator gloriola ve-
nerum suum virtuti affunderet. Iam
Danos, cum dicenti ad concionem ob-
streperent, diris devovit, quas illico
senserunt peste abrepti. Demum mortem
sibi, alteri infulam suam vaticinatus, inter
preces, quibus ferè vitam duxit, absolvit
vi-